

2. HYPOCHÆERIS *hispida*.

H. Foliis obtusis, sinuato-dentatis, hispidis: scapo ramoso: pappo seminum marginalium sessili, lanato, disci stipitato. *Roth. Cat. Bot.*

*Hab.* in collibus de *Alcantara* prope Olisiponem, in agris et ad sepes circa Conimbricam, et alibi in Beira, Flor. Maj. Jun. et Jul. Ann.

*Folia omnia radicalia, sinuato-dentata, apice laciniisque obtusis, in petiolum angustata, et quasi oblanceolata, hirsuta. Caulis unus aut pauci erecti, interdum centralis solum erectus, alii adscendentes, ramosi; ad ramorum exortum, et secundum ramorum pedunculorumque longitudinem squamosi, squamis distantibus, ovato-acutis, glabri, vixque ad ima pubescentes. Calyx oblongus, acutus, foliolis externis carinatis, nunc omnino glabris, nunc dorso hispidulis. Corolla composita lutea. Semina oblonga, fusca, striata, scabra, omnia pappo plumoso; radiantium pappus sessilis, radiis infra medium lana densa alba ligatis; disci stipitatus, radiis solutis.*

*Variat, in solo macro aridoque, habitu valde minori, caulibus numerosis (ad viginti), omnibus procumbentibus, seu adscendentibus, corolla minuta, foliolis calycinis paulo longiori, et florescentia præcociori.*

3. HYPOCHÆERIS *dimorpha*.

H. Foliis obtusis, sinuato-dentatis, hispidis: scapo ramoso: pappo seminum marginalium sessili, lana destituto; disci stipitato. *Broter.*

*Hab.* cum præcedente. Flor. eisdem mensibus. Ann. aut bienn.

*Similis præcedenti; sed pappus seminum marginalium nulla lana arachnoidea instructus. Variat foliis glabris; an varietas maior Hypoch.-glabræ Linn.?*